



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Machvmetis Saracenorum Principis, Eivsqve Svccessorum
Vitae, Ac Doctrina, Ipséque Alcoran**

Bibliander, Theodor

[Basel], [1543]

VD16 VD16 K 2583

Quod necesse est Arabes fateri trinitatem. 11.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98259)

Non igitur putrescit, nec corrumpitur, quia non antiquatur, sed semper ex fecunditate fontali innovatur. Vnde uidi ipsam aquam, esse fontem, fluuium & stagnum, & hoc aequaliter: quia non magis fuit fons, quam fluuius, & stagnum. & in stagno fluuium & fontem, nec tamen fons fuit fluuius uel stagnum, nec fluuius fons uel stagnum, nec stagnum fons uel fluuius. Nec haec uidi, nisi intellectualiter considerans fontem de se generare fluuium. Ideo fons & fluuius, differunt ut generans & genitum, siue ut pater & filius. Nec stagnum, potest esse fluuius, uel fons, a quibus procedit. & dixi: fons, unitas: fluuius, aequalitas: nexus utriusque, stagnum. Conclufi igitur: quoniam si ad aeternitatem dimisso aenigmate ascendero, ipsam ueriori modo comperio trinam & unam, quam hanc uisibilem aquam & facilius, superius dicta, de generatione & processione aeterna, indubia fide credidi. Dixi etiam in Alchoran scribi: ex aqua omnia uiuentia esse. Igitur si aqua ista dat uitam uegetatiuam omnibus circumstantibus arboribus & seminibus & herbis, sine sui diminutione: quanto magis creator aquae huius, omnibus creaturis dat omnia sine sui diminutione: aquam in aqua uidi fontem, fluuium, & stagnum: transsumo ad absolutam essentiam, de qua omnia quae sunt, id quod sunt, recipiunt, tam illa quae sunt, quam quae sunt & uiuunt, & quae sunt uiuunt, & intelligunt.

ITERUM EX TRIBVS PERSONIS MANV-

ductio. Cap. X.

Adhuc attende. Non ita dicimus esse plures humanitates, sicut plures homines: sic non est idem humanitas, et homo, sed idem est deitas et deus, propter simplicissimam essentiam diuinam. Vnde sicut non sunt plures deitates, ita nec plures dii, & non sunt nisi tres personae in humanitate, scilicet ego, tu, ille. Vnde ueraciter dico, Ego sum homo, tu es homo, ille est homo, & sunt tres illae personae eiusdem humanitatis. Vnde igitur haberent hoc illae personae, nisi creator Deus esset similiter trinus in personis, & unus in essentia? Potest igitur Deus ueraciter dicere: Ego sum Deus, tu es Deus, ille est Deus eiusdem deitatis, & non sunt tres personae, tres dii: quia non sunt tres deitates, sed sunt unus Deus, quia una deitas, quae Deus. Certum est etiam, tres personas in unitate, non esse unitatem seu singularitatem: & tres personas in numero, non esse nisi numerum & pluralitatem. nos autem dicimus tres esse diuinas personas in unitate, non in numero: & tres humanas personas in numero dicimus, ideo plures homines.

NECESSE EST ARABES FATERI TRINITATEM. Cap. XI.

tatem. Cap. XI.

Quod autem Arabes oporteat hanc Trinitatem in diuinis fateri, patet. Nam nisi fateantur, cum credant Alchoran esse librum ueritatis, conuincuntur deo dare participem. Scribitur enim in Alchoran, quomodo Deus dixit Mahumet: Tibi quidem, qui legem & librum ignorabas, nostrum spiritum mittentes lucem praeuimus. Et alibi: Cum hoc tibi diuinitus misso, spiritus benedictus penitus iustus cor tuum penetrauit, ut cum eo castiges Arabice. Iterum a libi de CHRISTO dicit: IESVS Mariae filius, Dei nuncius, suusque spiritus & uerbum Mariae coelitus missum existit. Iterum alibi: Ipse namque Deus, & suus spiritus benedictus, hunc Alchoran librum ueracissimum composuerunt. Consimilia in multis alijs locis Alchoran habet. Vnde cum spiritus Dei benedictus non possit dici creatura, & missus spiritus non sit a seipso missus, ideo nisi dicas ipsum esse tertiam personam in diuinis, & a patre & filio missam (quia dicit in plurali mittentes) necesse erit quod ponas plures deos, scilicet mittentes & missum. Iterum uerbum dei coelitus missum, est IESVS Mariae filius, & non potest uerbum dei esse

Aqua eadem
fons, fluuius, et
stagnum.

Aeternitas tri-
na et una.

Deus et deitas
idem.

Deitas una, ut
Deus unus.

Trinitatis asser-
tio etiam in Al-
chorano.

esse creatura, quia uerbo domini omnia sunt creata. Verbum igitur Dei, Deus est. Si igitur est Deus, & non est secunda persona quæ filius dicitur, scilicet uerbum patris, erit necesse, quod ponas plures deos, & uerbum Dei particeps Deo. Vide quando uis hoc negare, quod uerbum Dei non sit filius dei eiusdem nature cum patre, ne uidearis deo dare participem, tunc tu das deo participem. Et hoc etiam probatur ex illa autoritate: Deus & spiritus eius librum composuerunt. Si Deus & spiritus non sunt duo dii, sequitur quod spiritus sit persona in diuinis. Oportet igitur Arabes de necessitate fateri trinitatem: alias sunt increduli, dantes Deo participem. Adhuc sic: Euangelium fatemini librum lucidissimum & ueracissimum, in illo continetur unum esse Deum patrem & filium & spiritum sanctum, nihil igitur in contrarium allegari potest per uos, quando hoc uobis ex euangelio ostenditur, cum non sit minoris autoritatis euangelium quam Alchoran, ut Alchoran tradit. Quod autem in euangelio reperitur, certum est. Legitur enim in ipso, CHRISTVM dixisse: Vnus est bonus Deus. Item: Sic deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. Item: Paracletus autem spiritus sanctus, quem mittet pater. Alibi: Spiritum ueritatis, qui a patre procedit. Et iterum CHRISTVS mandat: Baptizantes in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Ex quibus & alijs euangelij locis clare colligitur, unum esse Deum patrem, & filium, & spiritum sanctum. Et hæc de sancta trinitate dicta sint.

CHRISTVM VERACITER FVISSE

mortuum & crucifixum. Cap. XII.

Restant non parua discordantia Alchoran ab euangelio elucidanda. Scribitur enim in Alchoran, Cap. XI, CHRISTVM non fuisse mortuum, sed alium quendam CHRISTO similem Iudeos suspendisse, sed CHRISTVM nullatenus interfecisse, quia Deus incomprehensibilis & sapiens eum ad se transmutare fecit, in quem uiri legum ueraciter ante mortem credent, & eorum seculo futuro testis astabit ille. Hæc ibi. Sed euangelium & cunctæ scripturæ alborum seu discipulorum atque historiæ temporum, concorditer affirmant, non solum CHRISTVM mortuum, sed etiam secundum scripturas prophetarum de Messia taliter, ut prædictum, reperitur mortuum esse. Et quia secundum libri sequentes, Alchoran non debet intelligi quasi sibi contradicat: & cum euangelium & prophetas approbet, ideo intellectus quærendus, quid in his prædictis intelligi uelit. Et primo eliciamus conformia euangelio, in quo scribitur demum CHRISTVM unum pastorem, et uniuersum hunc mundum unum eius ouile futurum. Conformiter asserit Alchoran, omnes uiros legum tam ueteris testamti quam noui, atque legis Arabum, in ipsum ante diem iudicii ueraciter credituros. Totum autem studium Alchoran, est persuadere, in solum Deum credendum. Et quia hic asserit, quod omnes uiri legum ueraciter in CHRISTVM credent: utique CHRISTVM à diuinitate non separat, nec alienum facit, sed diuinæ naturæ ipsum esse tacite affirmat. Sic aiebat CHRISTVS in euangelio: Qui in eum credent, in deum patrem crederent qui eum misit. Secundo asserit euangelium & Alchoran, extremi iudicii eundem iudicem & testem. Hunc autem iudicem euangelium dicit CHRISTVM esse. Hoc & Alchoran hic tacite approbat, cum dicat CHRISTVM testem illorum sibi fidelium in futuro seculo. Per consequens fatetur CHRISTVM etiam, & iudicem, sicut & euangelium. Non erit autem iudex secundum Alchoran, nisi Deus creator. Erit igitur CHRISTVS homo, quia iudex etiam deus. Dicit autem Alchoran Cap. 48. Tu Deus omnium conditor, cum prophetis interfectis accedens, omnia cum ueritate iudicabis. Attende, si deus iudicabit cum interfectis prophetis, & CHRISTVS est super omnes, quinõ deerit

Euangelij autoritas, Alchorani testimonio.

Christum non esse mortuum affirmat Alchoran.

Alchorani scopus.

Christus iudex & testis in extremo iudicio futurus.